[Vinzenz Staufer]: Catalogus codicum manu scriptorum, qui in bibliotheca monasterii Mellicensis O.S.B. servantur I

Melk, 1889 Seite V

Quelle:
Copyright:



Octingentis abhinc annis ipso die festo S. P. N. Benedicti abbatis qui ex eius disciplina profecti erant monachi e Lambacensi Austriae superioris monasterio a Leopoldo III., cui Austriae marchioni (II.) ex pulchritudine cognomen est inditum, arcessiti atque abbate Sigiboldo duce introducti sunt in hoc monasterium Mellicense. Quod qui primi incoluere quique eis annorum cursu successere monachos S. P. N. Benedicti regulam secutos primis quattuor a condito monasterio saeculis cum agris quae tunc erat Austriae colendis tum maxime animis qui tunc erant hominum litterarum humanitate instituendis moribusque conformandis et decori et utilitati cum monasterii tum patriae plurimum consuluisse, non est, quod mirere, candidissime lector, neque si quae ex illa aetate exstant litterarum monumenta diligenter consulueris, in dubium vocare possis. Neque igitur mirum, anni MLXXXIX. diem illum, 1089 qui S. Benedicti nomine nobilitatus est, quo die hoc monasterium S. Benedicti tutelae traditum ac demandatum est, et ab oppidanis, qui habitant ad radices collis, in quo monasterii aedes Danuvio flumini imminentes arcis instar exstructae sunt, et a viris rerum Austriacarum peritis, qui quantum